Lwow. Scholae Studentum: Poemata de nativitate Christi. a. 1607.

POEMATA
DE NATIVITATE CHRISTI

Ad modum Reuerendo in Chriſto Patri & Domino

D. STANISLAO KE-
DZIERSKI PRÆPOSITO ET

OFFICIALI LVCOVIEN.
Radzineñ. &c. &c.

FAVTORI LITERARVM BENIGNISSIMO
Studentes Scholæ Lucouieñ. pro Strena offerunt.
ANNO DOMINI MDCVIII.



Non nobis Dñe non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

CRACOVIÆ, Anno D. 1607.

Admodum Reuerendo Domino
D. STANISLAO KEDZIERSKI PRÆ-
poſito & Officiali Lucouień. Radzineń &c. &c.
Scholæ Lucouień. Studioſi
offerunt.

ACcipe Pieriæ Pater o dilecte Coronæ,
De nato nuper carmina facta Deo.
Parua quidem, neque rem numeris æquantia tantam.
Qualia Parnaßi fonte tulere Deæ.
Quæ tamen effigiem tibi qualiacunque tonantis,
In ſtabulo geniti viſa ſubinde ferant.
Quodſi nil vſquam IESV, ſcis dignius eſſe.
Vile tibi IESVM quod ſonat, eſſe nequit.

A.S.S. A.B.

PRO STRENA.

THOMAS OSTROWSKI.

O Qui ſpectata nos dexteritate gubernas,
Sit tibi ſtrena meo nomine miſsa Pater.
Num dedero argentum? verum hæc eſt ſtrena potentum,
Do CHRISTVM dare eũ, & pauper habere poteſt.
Irus ego? at Cræſi forſan tibi defero ſtrenam,
Dic mihi num CHRISTO ditius orbis habet?
Vnum cur dederim CHRISTVM? non plurima? Cræſo
Ditior eſt, IESVM quisquis habere poteſt.

ALEXANDRI FABRICII.

MVneribus quisquis mecum contendere tentas,
Ne tentes namque his dextera noſtra caret.
Muneribus certant Reges clariq́ue Monarchæ,
Et qui theſauros diuitiasq́ue tenent
Nos tenues vtroq́ue ſumus vinciq́ue parati,
Nam non diuitias pectora clara petunt.
Ergo quid tribuam dono tibi munera magna,
Quæ ſunt? Do IESVM quo nihil eſt melius.

IOANNIS PONIATOWSKI.

VIrgo præcellens, & ſis vt ditior, infans,
In Cunis, tibi ſit nomine ſtrena meo.

IOANNIS IEZIERSKI.

STrenam à me quicunque tibi nunc ſumere poſcis,
Dic præſepe Dei num tibi ſat fuerit.

Si CHRISTVM ſemper, veluti præſepe fouebis,
Sat magnam ſtrenam paruulus iſte dabit.

ADAMI IWANOWSKI.

VIs ſtrenam teneros imbres lachrimantis IESV,
Accipe nam tibi quæ maior ea eſſe poteſt·

EPIGRAMMATA DE NATIuitate Domini.

SIMONIS LVPI.

NAſcitur à prima promiſsus origine CHRISTVS,
Qui ſine principio eſt : qui ſine fine DEvs.
Et quanquam ærumnas noſtras mortemque ſubibit,
Attamen in vitam eſt, hic rediturus ouans.
Poſt repetet cœlos, ſpolijs Phlegetontis onuſtus
Illius adque aras hoſtia multa cadet.
Ferrea tum poſitis miteſcent ſæcula bellis,
Peccatis ſiſtet criminibusque modum.
Nate DEvs creſcas tecum namque omnia creſcent,
Collapſa exurgent ſydera, terra, mare.

MARTINI GOSTKOWSKI.

ASpice cœlorum regem perferre iacentem,
Vltro pauperiem, duræ hyemisque minas.
Hic mediteris homo cauſam imò pectore conde
Hæc patitur DEvs vt vulnera noſtra lauet.

IOANNIS GOYSKI.

NAſcere magne Puer promiſsus vatibus olim,
Vera Dei ſoboles naſcere magnæ Puer.
Qui pater æternas per ſæcula tradit habenas,
Vt ſuma mundum dexteritate regas.

Ergo

Ergo veni & ſanctam miſeris ſupponito dextram,
Ne cunctos ſtigius deuoret ore Draco.

ALIVD.

VENI ſolabor patiar ſoluam ſuperabo
Saluare afflictos mortẽ vinctos Acherontem:
Mortales dictis crudelẽ cõpede dextra.

MARCIANI SWIENCICII.

MVnera magna tibi celſi moderator Olympi,
Longinquo referunt ſplendidi ab orbe Magi.
Quomodo ſed cum tu ſtabuli diſcumbis in antro,
Non dedignantur ſordida adire loca.
Quomodo ſi præmit in duris te rebus egeſtas,
Reges te flexo poplite CHRISTE colunt.
Scilicet hi calidis diuini Pneumatis acti
Flatibus, agnorunt te puer eſse Deum.

ARTIFICIOSVM CARMEN pro Natali Domini.

PRincipiI finisque ExperS DeVs omnibuS, idem
M ultiplices linquit ſedes radiantis
A etereis, & mundum pereuntem inuiſit
R os cœli toties eſt voce petitus
I dem fert frigus, gelidos quo accendat,
A nobis lachrimas pellens en vagit.

ALIVD.

I am tandem lachrimæ & mæror iam cesſit in orb E
H actenus indulſiſse ſat eſt nunc pectora præſta T
E uacuare malis, atque hos componere fluct Vs
S yderea CHRISTVS tandem demiſsus ab arc E
V enit in has horas ſummus moderator & aucto R
S uſcipiens penitus diros perferre la Bores
N oſtrorũ cauſaque parentũ humanos corporis art Vs
A ſsumpſit veniens afflictum mundus in orbe M
S iccine CHRISTE tibi materno paruule la Cte
C onſperſiſse Dei ſanctiſsima iuuerat or A
I n vili ſtabulo, rerum ſic maxime recto R
T e recubare placet, miſero & ſuccurere mund O
V is in eo nec te generis ſcelerata ne Fãdi
R urſus ab incepto prohibent deſiſtere fact A
I mmemor an ſortis, Diuini & numinis es ſi C
N ominis oblitus proprij quod cuncta guberna T
B ella velis hominum gerere, vt fortiſsime IES V
E t nobis tutam rurſus reparare ſalute M
T antané te noſtri tenuit clementia CHRIST E
L apſos qui quondam rurſum reuelare parente S
E xoptas, at amor quiſnam hic qui dogmata pãdi T
E x præſepi hodie cœli & de culmine miſsa
M unera, qui nobis inde & myſteria profert.

DE CIRCVMCISIONE DOMINI.

S. S.

POſtquam biſsenam ſol lucem expleuit acutus,
Inſtaurat feſsos iam rediturus equos
Atque petit primus Capitolia celſa Polorum,
Incipies anni tempora fauſta noui.
Ergo vos Iuuenes, linguis animisque fauete,
Nunc dicenda bona, ſunt bona verba die.
Nam ſi olim Soboles voluit Generoſa Quirini,
A Iano Annorum ſumere principium:
Æquius à CHRISTO annorum eſt exordia ſumi
Vt nouus optatum finiat annus iter.
Ergo CHRISTE Deus ſemper dulciſsime nobis,
Anni principium dirige quæſo noui.
Pro nobisque velut voluiſti in corpore ſcindi,
Sic etiam in nobis, crimina fœda laues.